



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Robertus Abb, 29. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

274 VITÆ SANCTORUM. 29. April.
CHRISTUS CATHARINAM
vocare potuit. Ex Surio.

*Difficile imò impossibile est, ut & præ-
sentibus, quis & futuris, fruatur bonis; ut
& hic ventrem & ibi mentem impleat; ut de
deliciis transeat ad delicias; ut in utroque
seculo primus sit: ut & in celo & in terra
appareat gloriosus. S. Hieron. Epist. 14.*

S. ROBERTUS ABB. 29. Aprilis.

ROBERTUS gente Campanus na-
taliū decus virtute ad immortalē
memoriā illustravit. Nondum erat edi-
tus in lucem, cū Ermgardī matri per
quietem objecta Deipara annulum ob-
tulit, eoque sibi clausum utero infantem
despondit. Quem natum sic Ermgardis
eduxit, ut sacro pactæ virginis connubio
dignus redderetur. In Cellensī Ascete-
rio Monachum indutus, diversis cum
supremâ potestate cœnobiis præsedit,
religiōsæ potius disciplinæ, quàm cu-
mulandis opibus intentus. Accidit, ut ad
portas duo sacris initiati, sed egentes,
ab ROBERTO stipem præstolarentur.
Negabat penoris præfectus vel unum pa-
nem reliquum esse. Ad prandium signo
excitis domesticis, Abbas, conspectis
in mensâ panibus, unde illati essent,
rogavit. Oeconomo respondente, se
Fratrum numero æquatos panes reser-
vasse, omnes tolli iussit, ad fiduciam &
obe-

30. April. VITÆ SANCTORUM. 275
obedientiam anxias suorum cogitationes
revocaturus. Ex humanis abiit octo-
genario major, die jam prospecto atque
indicato. Curam suorum ne à morte qui-
dem posuit, increpare somnolentos so-
litus, excitareque ad divinas laudes, mi-
râ benevolentia, quâ tamen erga nos
Angeli quotidie utuntur, exiguo operæ
pretio. Quid vis? Deus ipse ad osium
stat & pulsat; neque tamen expergisce-
ris. Ex Lippeloo.

*Christus per Mysterium suum tibi videatur
in ore, & Christus per sui amoris in-
cendium tibi vivat semper in corde, ut con-
gruat etiam tibi, quod sponsa dicit in
Canticis. Fasciculus Myrrhæ dilectus
meus mihi. S. P. Dam. 1. 7. Ep. 19.*

SS. MARIANUS & JACOBUS MM.

30. Aprilis.

ANnus ducentessimus sexagesimus se-
cundus par nobile Martyrum habuit:
MARIANUS alter, alter JACOBUS
fuit. Et illum quidem pollice suspen-
sum pondera talis annexa tentissimis
nervis ad ima retrahebant; sed ad carce-
res reducti, animus in cælum abiit, æ-
terni convivii promulsive recreandus,
quam in pulcherrimum inducto tricli-
nium, S. Cyprianus propinavit, haud
gravatè pro unâ illius guttulâ omnem
sanguinem daturus. JACOBUM interea

S. 2.

pro.